AMORIS VITA
SIVE
DE S. IVONE
PAVPERVM PATRONO
ORATIO

Habita in Eiusdem Templo

AD EMINENTISSIMOS

S. R. E. CARDINALES

A FRANCISCO GIANO

Sem. Rom. Clerico





ROMAE,


Typis HH. Corbelletti. MDCLXV.

SVPERIORVM PERMISSV.




EMINENTISSIMO,
ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO
CARD. BARBERINO
S. R. E. VICECANCELLARIO



FRANCISCVS GIANVS FOEL.



VONIS Vitam, hoc est Te ipsum, exhibeo Tibi EMINENTISSIME PRINCEPS, audax ob argumenti præstantiam, quod suo veluti iure

ad illum volat, in quo viuunt hic delineatę virtutes. Quanto regalis Tuus animus amore pauperum ardeat, vtque omnia Tua tempora, & curas, publicæ saluti deuoueris, quem hominum latet? Sed oratoris tenebris quis meliorem lucem affundat Principe illo, cuius benefici Solis radios vix aliquis hac ętate scriptor non hausit, adeo vt frequentissimam aliā bibliothecā Doctissime Princeps cōflare posses ex voluminibus Tuæ solùm Purpurę consecratis. Accedunt priuata nomina, quæ Tibi deuinctissimum cogunt ad exhibendum hoc qualecumque vectigal obsequij, & nouum quærendum munus benignissimi patrocinij. Te publica salus diutissimè seruet Incolumem.

ORA-

ORATIO.



I magis Anima est vbi amat, quàm vbi animat, teste Augustino, *Eminentissimi Principes*, par est, vt Animę munera obeat Amor, in cuius gratiam ex homine illa propemodum auolat, & in amatum migrat. Hoc in IVONE Cęlum suspexit, quem sua informare anima profectò non potuit, in Deum; ac Pauperes, quos mirificè amabat, illapsa, & qui proinde alente membra spiritu destitutus in momenta singula defecisset, nisi par animę retulisset amor, & alimenta vitæ corpori suppeditasset. Dicere enimuerò poteras, IVO Beatissime, quod nomine ipso pręferebas: Viuo, quia Iuuo; tuus enim Amor dum beneficentia Pauperes amplectebatur, animabat corpus, à quo digressus animus transfundebatur in Deum.

Si opes, IVO, ingenium, curas, se denique totum hominum commodo, ac Pauperibus præcipuè, suis delicijs addixit: si coactus pręesse Iudex forensibus causis, vel dimittebat indemnatos, vel condemnabat, vt prodesset, ante soluta suo auro multa, quam reis irrogabat: si deinde Patronus Pauperum tuguria obibat, illos opibus, illos ingenio tuebatur, pro ijs ęneum pectus irę potentum obijciens: si fœlicissimi illius animi Cœlitibus immisceri prægestientis alas tardabat hominum amor: solū viuebat IVO, vt iuuaret, & ad

hunc

hunc vnicè Finem studia omnia contulit, & cogitationes suas.

At Efficientem quoque vitę fontem Amorem fuisse quis neget? An non perpetua ieiunia, perque octo solidos dies nulla omninò dape recreatæ vires, fugitiua quies super nudam humum vix aliquando membris concessa, cœteræque hostiles artes, Iuonis vitam perditum ibant? At opipara conuiuia pauperibus adornata, quamplurima nobili paratu cubilia IVONIS in ædibus inopum turbæ disposita, ità reficiebant IVONEM, ac si omnes illum delicię fouissent, quibus pauperes excipiebat. Adamantis rigore duratum corpus amantis deliciæ cordis recreabant. Dùm alijs ministrabat nobilissimus vir, omnium ore pascebatur, & alimentis vberrimę charitatis. Quamobrem alia etiam causa, hoc est Materies vitæ, IVONI fuit Amor, cùm dulcissimum illi saporem delicię pauperum elaborarent.

Non hic ego miror ad IVONIS preces aucta sæpe cibaria, & immensa vi frumenti illius horrea diuinitus locupletata, adeoque mendicorum indigentiam per illum omnipotentiæ diuitijs affluentem; cùm omnia posśit amor, fintque inopes, in quibus ille pręcipuè, veluti suo triumphat in regno. Sed quod IVONIS in se se odium, inque alios amor IVONEM ipsum pasceret, vel per octo dies cibi omnis expertem, adeò prodigiosum fuit, vt auctor ipse prodigij Christus, sui operis amore captus, adesse coram voluerit, ac veluti peregrini Principes maiestatē dissimulant, vt spectaculis nobilibus intersint, pauperis vultum induerit, & in IVONIS domo cœnauerit, dum ille inccœnatus sui amoris flamma vescebatur.

Satis

Satis tamen Amori non fuerit IVONIS quotidie vitam instaurasse, nisi illam contra ferocissimos hostes aliquando fœliciter asseruisset. Dum per creditam fidei suæ Prouinciam incendium Diuinæ charitatis IVO circumfert, & mirabilis orator aureis omnium corda vinculis nectit, ecce ripis licentius exsuperatis superbum flumen Sanctissimi viri cursum frœnat; & aquæ de palude, crediderim, stygia pullulantes Cœlestem ignem conantur extinguere. Fuit etiam cum flammæ vicina domo combusta excidium se alijs illaturas minabantur. Sed in obsequiosa diuortia concedere aquas, & in crystallinos veluti arcus duratas transeuntis IVONIS seruire triumphis intueor: Ignem verò ab illius imperio repente compressum. Ita quam elementa perdere cogitabant IVONIS vitam, eiusdem in alios amor tuetur incolumem.

Quid cum impetratis à minoris Britanniæ Principe ad extruendum Deiparæ Templum arboribus, syluam liberalius spoliasset, iamque turbæ in illum concitarentur, tres illicò è singulis troncis arbores prodire iussit IVONIS amor in Virginem, qui & discrimen ab illius capite auertit, & eius oculis, quas neque immortalis oculus Mundi Sol habet, addidit vires.

Quid cũ Tartareus ipse hostis hominem infelicem inhabitãs omnibus terrori esset, & in IVONIS domũ, hoc est in Cœli Coloniam, in quam certè Superos IVO toties inclinauit, audacissimus transfuga penetrasset, IVONEM Diuinus amor belluæ furijs eripuit, & in IVONIS gratiam illum, quem hostis acerbis modis ad mortem vsq; miserabiliter exercebat.

Et quisquam ibit inficias, Effectricem IVONIS vitæ causam amorem fuisse? Quid Forma causarum nobi-

nobilissima? Animâ ne IVONI forma vitæ, an amor fuit? sed quì fieri potuit, vt IVONIS corpus anima informaret ad vitam, si extra IVONEM semper anima viuebat in Deo? Neq; me incerta apud vos fide laborare sinit igneus ille globus, qui & IVONIS diuina sacra peragentis caput ambiuit, & nobili radiorum Diademate Diuinum Corpus, quod IVO tunc Populis adorandum exhibebat, splendidè coronauit. IVONIS illa, si nescitis, anima est, quæ, suis amoribus, latenti Deo circumfunditur. Æstuantis animi notas ignis ille manifestè prodit. An non ergo Amoris partes erant, IVONEM animare, cui spiritum, & vegetantem vitæ auram adimebat?

Quoties hominum saluti consulendum illi non fuit, abalienatus à corporis sensibus animus, & ab æstu Diuinitatis absorptus exiliuit in Cœlum. Hinc innumeris colliquescebat gaudijs vberrimæ, diuinissimæque voluptatis, quam à vitæ fonte potabat; dùm interea corpus, ad quod nullatenus pertinebat fœlicitas animi ab illo digressi, velut omni spiritu viduatum, squallebat. Quod argumento erat, animum ipsum supra naturam corporis, & extra sensus perfrui iucundissima coniunctione cum Deo: & si quando à fœlicissimo exilio redire ad consueta munera videbatur, non animus ipse redibat, sed amor Diuinus exutum spiritu corpus animabat.

Sed aliquando tandem, Sanctissime IVO, ad cœlestis ignis ad tuam scilicet Regiam amoris pennis non rediturus enitere. Non tua certè abrumpitur vita, namque expers diuturnę mortis, quam vitam dicimus inepti mortales, perpetuò hæseras in sinu Diuinitatis. Ex amoris regno immortali tuus omnium cordibus illabatur amor, quo Deum, ac pauperes amplexi delibāt in terris cœlestis vitæ delicias.

